



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tractatus De Executoribus Vltimarvm Volvntatum duorum
celeberrimorum iurisconsultorum**

Canis, Johannes Jacobus

Constantia, 1593

VD16 ZV 2896

19. Rationis reddendæ liberatio concessa administratori à testatore in
ultima voluntate, quomodo accipienda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63406)

18 Sed potest t̄ ne reddendæ rationis necessitas remitti inter viuos, vel ex vltima voluntate per testatorem? Potest quidem. Verum talis remissio non liberat à reliquis omnino soluendis: si quæ apud administratorem fuerint: multò minus à dolo malo. Martianus. ff. de lega 1. Si seruus (inquit) vetitus est à testatore rationes reddere, non hoc consequitur, vt nec quod apud eum sit, reddat & lucrifaciat: sed ne scrupulosa inquisitio fiat, hoc est, vt negligentia ratio non habeatur, sed tantum fraudum. Idem probat Papinianus in l. cum tale legatum. §. quid ergo. ff. de condi. & de monst. De plano itaq; calculatio acceptorum & perceptorum expendetur: vt si quid apud se habeat reliquum, id præstet l. nec quicquam. §. de plano ff. de offic. Proconsul.

19 Eodem modo t̄ accipienda est liberatio alicui administratori à testatore in vltima voluntate relicta, quæ lucrum rei alienæ contra ius naturæ non præstat l. Aurelius Symphorus §. filias heredes. ff. de libera. lega. Filias (inquit Scæuola) heredes scripserat: quarum fidei commissis in hæc verba: Ne à Caio
Scio

Seio rationem actus rei meæ, quæ per mensam
 siue extra, in diem mortis meæ gesta est, exigatis,
 eoq; nomine eum liberetis. Quæsitum est:
 cum vniuersas rationes in diem mortis iste ad-
 ministrauerit, & per mensam suam. & extra
 mensam: an ad rationes reddendas hæredibus
 teneatur. Respondit: Liberationem quidem
 secundum ea, quæ proponerentur, legatam esse:
 sed quatenus præstanda sit: ex qualitate dis-
 ceptionis iudicem æstimaturū. (Vlpianus
 ibidem.) Si quis rationes (inquit) exigere
 vetetur (vt est sæpissime rescriptum) non im-
 peditur reliqua exigere: quæ quis ipse reliqua-
 uit, & si quid dolo fecit, qui rationes gessit.
 Quod si quis & hæc velit remittere, ita debet
 legare: Damnas esto hæres meus, quicquid ab
 eo exegerit illa vel illa ratione, id ei resti-
 tuere: vel actionem ei remit-
 tere.

